

quām quæuis alia membra occupat. Thymus autem ob id dicitur, quod thymi herbæ flori similis sit: perinde enim asper oblongus, atque ruber, ac thymi flos est. Condylomata etiam cutis vitia sunt, quæ ano, atque ori vteri sæpius eueniunt. Clavi quoque intra pedum digitos nascuntur. Acrochordones verò atque calli & myrmeciæ duri tumores sunt perinde atque verrucæ, quæ quascunque partes corporis afficere possunt. Differunt inter se huiusmodi tumores: quandoquidem callus caro quædam est dura au solida, quæ nec sentit, neque dolet: propterea quod ad eam, nec vena, neque nervus pertinet. Acrochordon autem velut quodam tenui filo ea in parte, cui inhæret, suspeditur. Myrmecia verò, radice paulo ampliore: latioréque, sed capite paulò angustiore, quām acrochordon existit. Ex eo etiam inuicē differunt, quod myrmecia, si tangitur, dolet, perinde atque yellicans formica. Acrochordon verò atque verruca & callus nullo modo dolent.

*¶ Quibus signis tumores interni dignoscatur.*

C A P . X V I .

**S**etsi internarum partium humani corporis tumores præter naturam potius ratione sumpta ab excrementis, vel à situ vel doloris proprietate, vel denique à

D 3.

*Condyloma*

*Clavis*

*Verruca*